


**05**

**A**

**1414**





19

//  
שש  
QVADRIGA,  
QVÆSTIONUM METAPHYSICARUM,  
DE  
CAUSA ET CAU-  
SATO,

*Quam*  
JVVante Diæ Trinitatis  
CLEmentis  
sub moderamine  
VIRI  
Pra-Eximii atq; PraClarissimi  
DOMINI

M. GEORGII VVAGNERI,

Collegii Philosophici Adjuncti  
meritissimi,

Præceptoris ac Fautoris sui jugi observantiæ cultu  
prosequendi,  
in celeberrimo ad Albim

ARCHILYCEO

placidæ Φιλοσοφῶν  
ἐξελάσεσς submittit

Chrenfried Hain/Koenigsteinio-Misnicus

A. & R.

*In Auditorio Majori.*

*D. IV. Cal: Januar: Hor: Matutinis'*

---

Wittebergæ Typis JOHANNIS BORCKARDI 1666.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "GALLIA" and "DATA" are faintly visible.



M. GEORGIUS  
Handwritten number: 05 A 1414

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "M. GEORGIUS" are faintly visible.



## Juvante JEHOVA

Προαύλιον.

**Π**άντες ἄνθρωποι τὸ εἶδέναι ὀρέγονται Φύσει. Quo præclaro axioma-  
mate suam Metaphysicam orditur Aristoteles. Etenim, cum  
unumquodq; naturali perficendi sui desiderio teneatur, fieri non  
potest, quin animus noster tantò magis rerum omnium cognitionem  
expetat, quantò gaudet propiùs ad Deum, fontem omnis sapientiæ  
accedere. Duo autem sunt volumina, quibus Pansophia nostra compre-  
henditur: Scripturæ alterum, alterum naturæ. Illud ut Theologi  
est nocturnâ versare manu, versare diurnâ; ita hoc Philosophus po-  
tissimum scrutari debet. In illo infirma ratio, ceu nycticoracis ocu-  
li ad solem caligat, nisi eam graciosâ suâ assistentiâ Spiritus veritatis  
adjuvet: in hoc verò non solùm evolvendo, sed intelligendo etiam  
longè facilius feliciusq; occupatur. Sunt enim magis exposita sensibus,  
quæ inibi habentur, quàm imperscrutabilia illa mysteria, non nisi ex  
divinâ revelatione cognoscenda. Exploratura igitur mens nostra  
rei sibi obviæ naturam, vel à causis incipit progrediendo ad effecta,  
vel ab effectis ad cognitionem causæ tendit. Illud à priori, hoc à poste-  
riori cognoscere Philosophis dicitur: quibus, ajunt, modis omnem in-  
telligentiam nostram absolvi. Proinde simul atq; de viriculis inge-  
noli exercendis cogitare cœperamus, per opportunè sese offerebat il-  
lanobilissima doctrina, ex quâ nostram qualemcumq; dissertatiuncu-  
lam decerpimus. Erant enim tum alia multa, quæ nos instigare po-  
terant, tum hoc imprimis, quòd probè noveramus scientiam notitiâ  
causarum promoveri. Unde est, quod in dicterio vulgato nuncupe-  
ur felix, qui potuit rerum cognoscere causas. Itaque conclusum no-  
bis est et constitutum, nonnullas quæstiunculas de causis, eas maximè,  
quæ ad usum Theologicum non nihil facere videbuntur, in præsentî  
publicæ eruditorum συζητήσεσιν sistere. Quod ut feliciter cedat, faxit be-  
nignissimi Numinis Clementia.

### QVÆSTIO PRIMA,

An causa per accidens sit vera causa?

§.i. Pervulgata inter omnes est diremtio causæ, quando aliam *per*  
*se*, aliam *per accidens* faciunt Metaphysici: quæ licet à nemine Philoso-  
phorum non in ore habeatur, tamen ut diversa sunt ingenia, sic in di-

veritas etiam sententias auctores prolabantur. Sunt, qui *distingvi*, quidem causam dicto modo non inficiantur: Sed tamen *dividi* eandem ita posse, acriter impugnant. Sunt contra, qui ab hac mente prorsus alieni, rectius *divisionem*, quam *distinctionem* statui contendunt. Quos inter non exiguam opinionum discrepantiam advertimus, adeo, ut *illis* sola causa *per se*, vera causa causa vero per accidens nomine tenus saltem & æquivocè causa nuncupetur: *his* vero utraq; dicatur causa, non quod ea, quæ per accidens vocatur, solum causæ nomen mereatur; sed quod illi præter nomen causæ λόγῳ, quoq; τῆς ἰσίας optime conveniat.

§. 2. Hoc in negotio ne fortè ambiguitas vocabuli per accidens nobis offendiculo esse queat, non operam ludemus, spero, si in initio statim fallendi occasionem cautè declinemus. Atq; sic per accidens non dicitur (1) *in ratione Entis*, prout Ens aliud statuitur *per se* & aliud *per accidens*: quorum hoc describitur, quod ad naturam rei non pertinet. De quo fusiùs in primæ sapientiæ frontispicio. Sed sumitur (2) *in ratione causæ*: quatenus per se per accidens communis causæ quidditas contrahitur ad particularem & determinatam rationem. Neq; tamen hæc sensu terminus per accidens accipitur ἀκρίτως & *impropriè*, uti forte in privatio & causæ sine quibus non, Peripateticis vocantur causæ per accidens: sed κυρίως & *propriè*, pro tali causâ, quæ causæ per se est analogica quasi conspecies. Quemadmodum ergò *causa per se* est, quæ *cum intentione*, ita *causa per accidens*, quæ *præter intentionem* in esse causati influit. Illam exempli loco illustrare poterit primus omnium fratricida Cainus, qui manus impurissimas sanguine innocente pollue non erubuit: ad hujus verò explicationem commodè citabitur Lamechus, qui, si verum est, quod cum nonnullis aliis Rabbini statuunt, tritavum suum Cainum sub spe capiendæ feræ inter venandum, telo confecit. Sicut enim Cainus ἐκ πεγαίρεσει, ita Lamechus ἀνευ πεγαίρεως homicidium commisit. Requisita causæ per accidens, quorum quinq; B. Scharffio in Theor: transcend: p. 601. quatuor verò Cl. Scheiblero in opere suo Metaphysico lib. 1. cap. XXII. tit. 8. art. 1. nunq. constituere placuit, satis convenienter ab aliis, ad duo reducuntur: nimirum, ut causa per accidens (1) *verè importet influxum causalem*, & (2) *produc. t effectum sine intentione*.

§. 3. Quibus sic in antecessum explicatis, affirmativam nostram facimus

cimu

cimus sententiam, statuentes, *causam per accidens non ὀνομαστικῶς & ἀ-*  
*quivocῶς, sed ὑπονοητικῶς* ac reverà causam appellari: quanquam id am-  
babus largiamur manibus, non univocationem, sed analogiam; eam  
tamen non extrinsecæ, sed intrinsecæ denominationis obtinere.  
Quam assertionem nostram duplici cum primis medio de facili proba-  
mus: ac (1) quidem *ex definitione causæ propriè sic dictæ, causæ per acci-*  
*dens reverà competente.* Argumentamur enim: *Quæcumq; causa*  
*realiter influit in esse causati, illa est vera causa. At causa per accidens. &c. E.*  
Majorè fulcit canon Topicus, quo à definitione ad definitum, fir-  
mam consequentiam valere, Logici edisserunt. Est autem ea genui-  
na & legitima causæ descriptio, quam loco medii adducere voluimus:  
quandoquidem veram & formalem rationem causæ, in reali influxu  
unicè sitam, complectitur. Minoris certitudinem ex eo arbitramur  
manifestam esse, quia, quæ à causâ per accidens dependent, nihilomi-  
nus verè causantur. Sanè nauta per accidens naufragium facit, & ta-  
men verè facit: scandala per accidens veniunt, & tamen verè veniunt:  
adeò, ut à veris effectis ad propriè sic dictam causam liceat firmissimè  
concludere. Deinde (2) elucescit veritas asserti nostri *ex absurdâ dis-*  
*sentientium opinione.* Fingamus enim animi gratiâ, causam per acci-  
dens æquivocè hoc insigniri nomine: at quid est, si hæc non  
est insignis contradictio, asserere causam per accidens  
esse non-causam, prout indoles æquivoci requirere vide-  
tur. Sicut enim pictura formam hominis representans propterea est  
non-homo, quia homonymicè sic dicitur: simili modo causa per ac-  
cidens foret non-causa, stantibus contranitentium sententiis. Verùm  
edere effecta, & non esse causam, tam se patiuntur invicem, quàm ha-  
bere filium, & non esse patrem.

§.4. Itaq; non est, cur hîc Antagonistæ patrociniū causæ suæ  
quærant vel in Svareziî vel etiam Fonseca definitione, quorum *illi cau-*  
*sa est principium per se influens in esse causati: huic verò id, à quo aliquid*  
*per se pendet.* Nam quamvis hæc descriptiones satis aptæ videantur,  
quas pro adstruendâ sententiâ suâ pars adversa possit allegare: tamen  
non putamus nobis defore, quod affatim reponere queamus. Præter e-  
nim illud, quod ex Senecâ didicimus, *verba rebus, non personis esti-*  
*manda esse,* juvat utriusque mentem paulò accuratiùs perpendere, ne

secus tale quid iisdem imputemus, de quo ne per somnium quidem cogitassent. Atque sic & nostra poterit defendi assertio & citata jam autoritas locum invenire: dummodo hoc pacto sentiamus respici Dd. adductis causæ potissimum analogarum, quod in istiusmodi descriptionibus haudrarò usu venit, & adeò non ita comparatas definitiones esse, ut possint *causa per se* & *per accidens* ex æquo convenire. Illi enim πρώτως ac primariò, huic verò δευτέρως saltem atq; secundariò ratio causæ dicitur competere. Et licet addat etiam Fonseca terminum *per se exclusivum* esse causarum per accidens: tamen ex eodem novimus autore, eas hîc intelligendas causas esse quas §. 2. in æquivocationis evolutione ab hoc loco relegavimus. Quin imò ipse cum Philosopho asserere non dubitat, causas per accidens [puta quæ huc spectant] non æquivocis, sed analogis annumerandas meritò centeri. Coeterùm nec audiendi illi sunt, qui terminum per accidens *alienantem* esse judicantes, causam hanc eximere numero causarum non verentur. Sicut enim Ens per concretionem, aggregationem & consociationem verum Ens esse propterea non desinit, quia tale est *per accidens*; ad eundem modum *causa per accidens* non est habenda pro *non-causâ*, quamvis suspecto titulo gaudere videatur. Manet ergò stabilis & inconcussa, affirmantium assertio, quicquid contra adversarii insidiatum moliantur.

§. 5. Ecquis proinde est, quin facilè intelligat, quàm impium errorem errent illi, qui ut mollius suorum præcedaneorum blasphemiam proponant, Deum non *absolutè* prorsus, sed *per accidens* solummodo autorem scelerum constituunt. Nam isti quid agunt aliud, quàm ut mutatis pilis, eundem semper animum retineant? Sive enim *causam per se* sive *per accidens* dixeris, veram utrinque causam dixeris. Quocirca tantum abest, ut emolliant, quod emollire conabantur, ut potius mentem suam ejusdem planè fursuris persuasionibus magis atq; magis obdurare meritò credantur: adeò, ut in quemlibet sic falsò sentientem optimè conveniat, vulgo quod dici solet:

*incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim:*  
aut, quod aptius videtur, illud Megarensis Gnomologi:  
μαλθακά κωτίλλων ἐξ απαλῶν ἐθέλει.

QUÆ.



QUÆSTIO SECUNDA.

*An & quomodo causa prima ad actiones causarum secundarum concurrat?*

§. 1. Duo sunt, quæ *Στην* propositum complectitur: alterum de certitudine influxus cause primæ, alterum de modo concurrenti ad particularium causarum actiones loquitur. De quibus ut distinctius & explicatius constare queat, certum est, nonnihil ante præmonere, quod ad meliorem intelligentiam verborum momenti aliquid conferre videbitur, quàm ad decisionem rei convertamur. Igitur (1) non indigitur causa, quæ prima est *causandi proximitate*; sed quam vocant primam *causandi primitate*. Quarum illa *proxima* effectis est, hæc verò supra omnes posita, & ideò *suprema* nuncupata. (2) non quæstio est de *quarundam* saltem *causarum particularium effectis*, sed *an omnes in producendis actionibus suis influxu cause primæ adjuventur*. Et quidem (3) adeò, ut ea *destituta non possint non in operationibus deficere*. Neq; tamen (4) illud volumus, ac si *causa prima sola singula efficiat*: sed *an concurrat queritur*, h. e. *an unà cum causis secundis reverà agentibus, simul etiam agat causa prima sive suprema*.

§. 2. Quà præmissâ status controversiæ formatione illorum partes sequimur, qui rectius præ cæteris sentientes *affirmativam questionis amplectuntur*. Nam omnia, teste Gregorio, *quæ creata sunt, per se nec subsistere prævalent, nec moveri, sed in tantum subsistunt, in quantum, ut esse debeant, acceperunt, in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur*. Quò pertinet effatum subtilissimi Scaligeri, *omnia, inquentis, quæcunq; agunt aliquid, vi ac virtute primi agentis agunt*. Quorum tamen non tam *autoritate niti decet, quàm rationibus firmissimis confidere, quibus suam affirmantes astruunt sententiam*. Harum ut non nullas attingamus, sequentes loco mediæ probantis adduxisse sufficiet. Et primò quidem assertionis nostræ robora desumimus *ex causa secunda à causâ primâ dependentiâ*, inferentes: *Si causa secunda dependet à causâ primâ in essendo, sequitur illam quoque ab eadem dependere in agendo. Atqui antecedens est. E. & consequens*.

Majoris ratio in eo sita est, quia essentia est principium operationum:

num: quo dato, dabitur & illud, actiones causarum secundarum à causa primà dependere. Causa enim causæ [essentiæ] est etiam causa causati (operationum). Minor per se satis claret, cum omnia, præter solum Deum, sint Entia dependentia.

Deinceps evincitur sententia nostra ex causarum secundarum in agendo deficientiâ; ortâ ex sola concursu causæ primæ denegatione. Nam quo sublato tollitur causarum secundarum actio, illud necessario ad earundem operationes requiritur. At sublato concursu causæ primæ, tollitur causarum secundarum actio E. Quid? quod ad potentiæ divinæ amplitudinem hoc ipsum pertinere videatur, in tantum supra captum mentis & humanæ & angelicæ extendi, ut ubique præsens semper agat omnia, & omnibus partibus mundi assistat cooperando.

S. 3. Verum, quod observatum est Gregorio Magno,  $\psi\epsilon\upsilon\delta\theta$  esse πολύμορφον καὶ πολυχιδές, id utinam & nos non experiri cogeremur. Quamvis enim satis luculenter pateat asserti nostri ratio, tamen non deesse intelligimus, qui contrarium tueri malunt, quam nobiscum veritatem amplexari. Nam præter nostram, quam fovemus mentem, tres eminent præcipuè sententiæ ab adversariis non parùm agitatae. Quarum priores quodammodo coincidentes, ideò nobis contrariæ videntur, quia stantibus iisdem, concursus in influxum solitarium ut transeat necesse est, cum tamen antea in quæstione innuerimus, causas secundas verè cum causâ primâ concurrente agere. Hinc prima est eorum, qui omnem actionem causis secundis, detrahentes, solam causam primam operari omnia contendunt. Quomodo sensisse ferunt Aliacensem lib. 4. sent. d. 1. q. 1. & Gabrielem lib. 4. d. 2. q. 23. quibus Thomæ accensentur Mahometis sectatores q. 3. de potentiâ. Altera non omnes quidem causas particulares otiosas & activitatis statuit expertes, sed eas saltem, quibus ob matris ineptitudinem tale quid Spiritibus proprium competere non posse, Avicembron affirmavit. Qui quomodo Numen sanctissimum à scelerum causalitate liberent, viventiaq; à non-viventibus distingvant, ipsi viderint. Tertia Pelagianis & horum complicibus communiter tribuitur, qui referentibus Hieronymo & Augustino, asserere non verebantur, posse se sine auxilio DEI movere manum, curvare digi-

*digitum, sedere, stare &c.* adeoq; eò dementiæ perve-  
rant, ut mirum, quantum fisi viticulis suis, *omnia*  
*virtuti propriae asscriberent.* Qvò & Durandus & Tau-  
tellus ab autoribus trahuntur, ejusdem impiæ sententiæ  
patroni. Objectionum ἀνάλυσις, quam hic adducere  
prolixum foret, videatur apud Scheiblerum Metaph. lib. 2.  
cap. 3. tit. XIX. art. 2. & B. J. Martini partit. Met. Sect. XI.  
qvæst. VII. & II. X.

§. 4. Posteaquam ergò prius membrum explicatum  
dedimus, restat, ut *posterius* eâ, qvâ fieri poterit, brevitate  
perstringamus. Illud autem *modum concurrendi* detectu-  
rum diximus, quem non omnes unum faciunt Philosophi.  
Nam pro varietate capitum sententiarum etiam varietate  
gaudent. Alii concursum istum *in nudâ positum volitio-*  
*ne* volunt, ut *causa prima* ideò concurrere dicatur, quia *velit*  
*eam & non aliam produci actionem ac quam causa particula-*  
*ris edit.* Alii *in virtute superadditâ* consistere statuunt,  
qvâsi *causa prima superaddat cause secunde vim & efficaciam*  
*agendi antea non habitam.* Alii deniqve *in motione cause*  
*inferioris* ponunt, arbitrati, *causam primam potentiam cau-*  
*se secunde impellere & excitare ad actus suos efficiendos.* Qvæ  
sententiæ qvidem utut adduci, defendi tamen nullâ ratione  
possunt. *Non prima* : quoniam *volitio* est *actio in-*  
*terna seu immanens*, at vero concursus iste quem intendimus  
*externa.* *Nec secunda* : quia *metuendus esset progres-*  
*sus in infinitum*, à quo tamen abhorrere, qvàm maximè te-  
nemur. Nam illa virtus ordinata ad actus suos indigeret  
novâ superadditâ virtute, cujus beneficio operari posset,  
hac iterum aliâ, & sic infinitum virtus virtuti superadde-  
retur; *Nec, tertia* : hoc enim modo non concurre-  
ret *immediate ac actionem*, sed ad ipsam causam potius,  
qvâ mediante postmodum & actio influxus particeps vo-  
cari mereretur. Alia qværenda igitur est ratio, quam sa-  
niores secuti dicimus in eo sitam esse, ut *concursum iste sit*  
B. nihil

nihil aliud, quam positivus influxus, quem præbet causa prima immediatè ad effectum vel actionem cause secundæ. Hoc enim pacto indicatur partim inferioris cause insufficientia, partim etiam intrinseca effecti à causâ summa dependentia. Quæ cum hic sufficient, non est, cur aliquid præterea addatur. Quamquam verò ambæ, prima cum secundâ, unam agunt actionem, nihilominus utraqve totalis adhuc rectè dicitur. Cum enim non ejusdem, sed diversi ordinis sint causæ, ita comparatæ, ut una ab alterâ essentialiter dependeat, facere non possumus, quin totales eas esse nos persuaderi patiamur. Conferatur Svarezius Disp. 26. §. 5. n. 19. &c.

## QUESTIO TERTIA,

*An omnis causa prior sit suo causato?*

§. I. Quamvis hoc problema per se satis clarum videatur, ut nemo inter saniores uspiam existat, qui non auditis causæ & causati terminis, in ejus facilè assensum rapiatur: tamen ut rem persequamur planius, & plenius affirmativam explicemus, visum est, nostratium hic legere vestigia, veramq; firmam reddere sententiam. Solent autem variæ proferri rationes, quarum ubi duas selecturi sumus, potiores eas & quàm maximè stringentes, non veremur adeò, ne frustrà operam consumere dicamur. Prius ergò medium probandi thesin nostram prorsus ἐξ ἀνάγκης hoc esto: *Principium prius est eo, cujus est principium. Atqui causa est principium scilicet causati sui. E. causa prior est causato suo.*

Posterius hoc syllogismo comprehendimus: *Quodcumque à causato suo semper præsupponitur, id est eo prius. Atqui omnis causa ita præsupponitur. E.*

Propo-

Propositio vel ex terminis constare potest. Assumptum  
verò liquet, quoniam est impossibile causatum actu poni,  
nisi prius actu ponatur ejus causa. Illud enim ab hac  
dependenter est, & quicquid est, à causa suâ, habet. Con-  
sul. B. Jac. Martini partit. Metaph. sect. XIII. quæst. I. Tim-  
pleri Metaph. lib. 3. cap. 2. problem 5.

§. 2. Sed ut fermè nihil est, cui non contra niti au-  
deant vani loqui, flocci pendentes illud, quod Justinus e-  
leganter præcepisse legitur: *πρέπει φιλοσόφως τὸ ἀληθὲς  
μόνον ἱμᾶν*: sic neque hic putandum est, ac si cum affirman-  
tibus nos ad eò felices simus, ut qui contrarium defendant,  
non inveniamus.

Quantum enim studium adhibeant, ut negativam po-  
tius tueri possint, quam nobiscum facere cogantur adver-  
sarii, non difficile speramus fore, ex sequentibus quodam-  
modò colligere.

*Quicquid enim, inquit, est simul cum  
causato, id eo non est prius.* Atqui causa E. Minorem du-  
plici cum primis modo fulciunt: autoritate scilicet & rati-  
one. Ratio ex relatorum indole depromitur, quæ simul  
esse, nemo non Philosophorum asserit. Autoritas ex A-  
ristotele petita est, qui libr. 2. poster. analyt. c. 17. t. 90.  
& alibi, causam & causatum simul esse non obscurè do-  
cet.

Deinde urgent: *O principium prius est eo, cujus est prin-  
cipium.* At *Q. causatum est principium cognoscendi causam  
ignotam.* E. *consequitur non omnem causam priorem esse  
suo causato.*

Assumptio confirmatur inde, quia in cognitione à po-  
steriori, quando ab effectis ad causam progredimur, ratione  
cognitionis nostræ utiq; causatum prius esse suâ causâ dici-  
tur, cum illud sit notorium & hæc sæpissimè latere vi-  
deatur.

Deniq; si finis, ajunt, non est prior suo finito, sequitur,  
non omnem causam priorem esse suo causato. At prius

est : nam finis est posterior mediis , ad finem perducentibus. E.

§. 3. At verò hi sunt fortè sapientes hujus seculi, qui omne, quicquid à rationibus suis devium videtur, ad demerendum referunt, & à veritate reputant alienum, sicut eruditè Cyprianus loquitur. Nam quid volunt aliud Antagonistæ nostri, quàm ut, si obtineant, quod cupiunt, postmodum cum Piscatore & Polano aliisque Calvinistis concludant : ergò fides non est causa electionis, quemadmodum justificationis, quia ipsa tota est effectum electionis, quia non est ab eterno, quia suo tempore sequitur electionem &c. Uti hæc de re videri potest B. Gerhardus artic. de electione & reprobatione §. 167. pag. m. 323. & alii. Adeò magnum periculum est res fidei humanis committere rationibus, ceu rectè judicat Chrysostomus. Verùm ut eorum argumenta debita excipiat responsio, præmittendæ quædam limitationes sunt, quarum beneficio feliciter faciliusque resolvantur. Videlicet dist. (1.) inter esse causæ & causati absolutum & respectivum. Prius non posterius problema nostrum exhibet. (2.) inter prioritatem temporis, cognitionis & naturæ. Sola nobis sufficit prioritas naturæ. (3.) inter prioritatem realis existentia & prioritatem intentionalem seu in ratione causandi. Causa si non illâ, tamen hæc ad minimum prioritate prior est causato.

Igitur ad primum per distinctionem primam respondebimus, majorem limitando : Quicquid est simul cum causato, scilicet secundum esse respectivum, id &c. Sic nihil amplius obstare potest, quo minus totum largiamur argumentum. Nobis enim sermo est de esse absoluto, non de respectivo, secundum quod de facili concedimus, causam cum causato simul esse. Quod ergò ad autoritatem Aristotelis, inquentis : ἀπὸ τὸ ἀπὸν καὶ τὸ ἀπὸν, reponimus, quod alibi Philosophus affirmat : τὸ ἀπὸν ἀπὸν

εἰς τὸ αἰώνιον. Quæ cum eodem sensu sumpta sibi contradicant,  
 sequitur, quod prius necessario de esse respectivo, & posterius de  
 esse absoluto explicandum veniat. Alterum distinctione alterâ  
 deciditur: falsò namque sentientes cum prioritatem *non naturæ,*  
*sed cognitionis* intellectam *velint* necesse sit, etiam hoc pacto nobis  
 non officiant. Tertium per tertiam resolvitur, quâ distinximus  
 inter prioritatem *existentiæ* realis & prioritatem *intentionis*. Fi-  
 nem equidem non illâ, sed hâc mediis priorem esse dicimus. Sic  
 quamvis fides ab æterno non extiterit reali existentiâ, tamen, o-  
 pinandum non est, ac si propterea electionis causa *ἢ* *αἰώνιον*  
 divinam esse non potuerit. *Religionem* enim, monente Vincen-  
 tino, *non quò volumus ducere, sed quò illa nos ducit, sequi debemus.*  
 Proinde etsi fides in tempore per ordinaria media datur: tamen  
 electionis decreto ab æterno factò fuit inclusa, quatenus DEUS  
 exactissimè cognovit, qui per verbum virtute Spiritûs sancti essent  
 credituri, & ab æterno constituit illos omnes & solos, qui in Chri-  
 stum verè & perseveranter credunt, salvos facere. Conf. B. Ger-  
 hardus d. l. §. 168.

## QVÆSTIO QUARTA.

*An causa sociæ semper realiter distin-  
guantur?*

§. i.

Quemadmodum causa *solitaria* vocatur, quæ agit sola sine so-  
 cio: sic *sociæ* nuncupatur, quæ non agit sola, sed aliam vel plures et-  
 iam adjunctas causas habet, cum quibus unum numero producit actum.  
 Ad illam communiter exempli gratiâ referre solent Nisum, quem  
 ajunt causam solitariam cædis Rutulis illatæ extitisse, idque eò  
 certius affirmant, quò de se ipso loquitur apertius, *Aeneid. 9.*

*Me me, inquiens, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,*  
B 3
o Rutu-

*ô Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste nec ausus,  
nec potuit: cælum hoc & conscia sidera testor.*

De hæc autem vulgò ita judicant:

*noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.*

Itaque natura causæ sociæ in eo sita est, ut cum aliis similiter agentibus producat effectum. Non enim una sufficit, ut actio edatur, sed ad minimum duæ conjunctim requiruntur. Hinc non *totales* eas, sed *partiales* Metaphysici appellant, quippe quarum singulæ in operando suas quidem vires conferunt, non tamen tantas, ut si absit mutuuum auxilium una omnium explere partes queat. Unde ortus est Scholasticorum canon vulgatissimus, quando *causas coordinatas plures pro unâ stare asserunt*. *Coordinatas* enim socias oportet esse causas, non *subordinatas*, utpote in quibus est diversa planè ratio.

§. 2. Ex his ergò dictis non obscurum est colligere, quid de proposito *ζηήματα* habendum. Nimirum affirmamus illud meritò, cum nemo inter saniores sit repertus, quin eandem approbaverit sententiam, motus cum aliis, tum hoc imprimis argumento: *Quaecunque differunt ut Ens & Ens, illa differunt realiter.*

*Atqui causæ sociæ E.* Minor: quia attributa Entis, ad quæ etiam refertur causa, materialiter cum Ente retrocurrunt, ita ut ubi multiplicantur eadem propria, etiam essentias necesse sit multiplicari. Sic *subjecta* cum dico vel *adjecta*, certum est, me uno plura Entia innuere. Uti per risibiles, hinnibiles, latrabiles & similia prædicata in plurali posita, diversos numero homines, equos, canes & sic porrò, quilibet significari videt. Cur ergò causæ plures, quæ in consociatione necessariò adesse debent, non etiam pluralitatem Entium importent? *similium enim similis est ratio.* Adde, quòd in causis sociis, *aliam si actionem spectes*, una quælibet earum possit solitariè efficere. Adeoqve cum causa solitaria semper sit peculiare & distinctum Ens ab aliâ causâ solitariâ, qui fieri potest, ut si jungantur, non etiam essentias distinctas habeant.

§. 3. Hinc ex adversariis suo more h. e. graviter errare

judi-



judicantur Rudolphus Goclenius, Henricus Alstedius & alii, qui tres personas sacrosanctæ Trinitatis causas locias creationis esse disse-  
runt. In quos rectissimè competere videtur, quod Scaliger alicu-  
bi doctissimè pronunciat, *quid aliud, inquit, nisi unum verum, nos in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in majori cæcos esse, in maximâ insanire.*

Quis enim velit sanæ mentis affirmare, dari in essentiâ divi-  
nâ, tria entia distincta, aut partiales etiam virtutes operandi, cum  
ob *unissimam* ( verbum est B. Lutheri ) essentiâ divinam, simpli-  
cissimam quoque principii creationis unitatem credere de fide  
teneamur. Nam *πολυθεότητα* invehere, aut Deum imperfectio-  
nis arguere, est orco dignum scelus & execrabilis blasphemia.  
Prolixius rem omnem persecutus est B. Meisnerus in Philos. sobr.  
part. 1. sect. 1. cap. 3. quæst. 2. qui proinde consulendus. Nos vela  
colligere propter temporis penuriam cogimur, obnixè interim  
rogantes, ut si quid ob ingenii tenuitatem minùs accuratè posi-  
tum, *benevolus Lector* erratis nostris veniam concedere dignetur.  
Cæterùm,

GLoria sIt DoMIno, CVIVs nos  
gratIa sIt pet.



*[Faint mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Gloire de Dornio. CVIVanos

Gusta Silber



05 A 1414


ULB Halle

3

003 781 992







כשש  
19  
QVADRIGA,  
QVÆSTIONUM METAPHYSICARUM,  
DE  
CAUSA ET CAU-  
SATO,

Quam  
JVVante Dñe Trinitatis  
CLEmentis  
sub moderamine  
VIRI  
Pra-Eximii atq; PraClarissimi  
DOMINI

M. GEORGII VVAGNERI,

Collegii Philosophici Adjuncti

meritissimi,

Præceptoris ac Fautoris sui jugi observantiæ cultu)

prosequendi,

in celeberrimo ad Albim

ARCHILYCEO

placidæ Φιλοσοφίας

ἐξέδοται submittit

Chrenfried Hain/Koenigsteinio-Misnicus

A. & R.

In Auditorio Majori.

D. IV. Cal: Januar: Hor: Matutinis'

Wittebergæ Typis JOHANNIS BORCKARDI 1666.